

53) Thurs.

Vd. *Benedictio Incensi*.

54) Sine sacra unctione.

Vd. *Campanae* (bened.); *Bened.* (supellect.)

Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Jesu et alios quoscunque habentes privilegium reconciliandi coemeteria et benedicendi similia, dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus, in quibus non adhibetur sacra unctio et pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum. n. 942 die 13. Mart. 1632.

Habens indultum utendi Mitra et Baculo cum facultate benedicendi Crucis, Imagines, Campanas, Vasa et alia ad divinum cultum necessaria, non potest consecrare Altaria et Calices et Similia, in quibus requiritur sacra unctio. n. n. 1348 die 11. Nov. 1641.

Ad dubium Praepositi Canonicorum regul. s. Augustini Monasterii Inderstorfensis: an verbum *Benedicere* contentum in Indulto sibi concesso per Urbanum VIII. idem importet, quam consecrare? S. C. resp.: Indultum benedicendi non comprehendere consecrationem. n. 2600 die 3. Septb. 1672.

Abbas s. Michaelis de Coecian Ord. s. Benedicti Nullius Provinciae cum jurisdictione quasi episcopali non potest sine speciali indulto consecrare seu benedicere calices, saxa altaris et alia solita ornamenta. n. 2650 die 12. Aug. 1673.

55) Viae Crucis.

Vd.: *Via crucis*; *Indulg. viae crucis*.

BENEDICTIONALE

(Approbatio.)

Vd. *Libri Ecclesiastici*.

BENEDICTUS.

a) Intortitia ad Bened.

Vd.: *Intortitia ad elevationem* etc.; decr. n. 4064.

b) In Sepultura.

Vd.: *Sepultura* (ritus).

BENED., QUI VENIT ETC.

(Initium.)

In missa solemni *Benedictus* etc. cantari debet post elevationem. (Caer. Ep. Lib. II. c. VIII. n. 71.) n. 1454 ad 1. die 13. Junii 1643.

Ad dubium: Ubi cantus Chori non producit usque ad elevationem Hostiae: *Benedictus qui venit* etc. cantari debet post elevationem, an immediate post primum *Hosanna in Excelsis*? S. C. resp.: „Cantari debet post elevationem“. n. 4669 ad 33. die 12. Novbr. 1831.

S. BENEDICTUS ABB.

Vd. *Breviar. Benedict.*; *Moniales.*; *Missa in aliena Eccles.* (decr. n. 4154.)

Tempore Adventus et Quadragesimae non potest semel in hebdomada vel mense fieri Officium de s. Benedicto. n. 3222 ad 1. die 10. Junii 1690.

Si in fer. 3. (qua die ex privil. Benedictini recitari possunt Off. de s. Benedicto) cadat Vigilia, et caeteri dies sunt impediti festo dupl. vel semid. per totam hebdomadam, non potest dicta fer. 3. fieri Off. de s. Benedicto. Ut *supra* ad 2. et n. 3428 ad 1 die 27. Apr. 1697. n. 3503 ad 2 die 7. Febr. 1699.

Si cadat Festum s. Benedicti in hebdomadam s. et propterea debet transferri post Pascha, Benedictini non possunt celebrare hoc festum una cum octava. Ut *supra* ad 1.

Si festa B. M. V. Annuntiationis, s. Joseph et s. Benedicti transferuntur

post Pascha, *Benedictini* primo recitare debeant de s. suo Patriarcha, cum hoc sit 1., caetera vero 2. cl.? S. C. resp. De s. Benedicto 1. cl. Ut *supra* ad 2.

Si festum s. Benedicti transferatur post Pascha, *Indulgentiae* concessae non transferuntur juxta resoluta de 30. Sept. 1679. Ut *supra* ad 3.

Ad dubium: an Benedictini in Germania praeter supra dictum festum s. Bened. cum octava, possint aliud festum ejusdem Sancti cum octava, ut ad 11. Julii quotannis soliti fuerunt, recitare? S. C. resp.: Si festum s. Bened. consueverit recitari ex concessione apost. die 11. Julii et non die 21. Mart., et in Calendario rom.: *Negative*. Ut *supra* ad 4.

Translatis festis s. Benedicti et s. Josephi primo ponendum esse apud Monachos s. Benedicti festum s. Benedicti tamquam fundatoris Ordinis, etiamsi festum s. Josephi esset dupl. 1. cl. pro Regularibus utriusque sexus in Regnis Hispaniarum. n. 3702 die 23. Aug. 1704.

Ad dubium: an Officium s. Benedicti recitari possit die Sabbati, si tota hebdomada sit impedita et tunc debeat omitti Off. B. V. M. in Sabbato? S. C. resp.: *Posse*. n. 3428 ad 2 die 27. Apr. 1697; n. 3503 ad 3 die Febr. 1699.

Officium s. Benedicti ex indulto ap. in qualibet hebdomada fer. 3 et semel in mense recitandum praecedere non debet translatis sive dupl. sive semid. n. 3503. ad 1 die 7. Febr. 1699.

Hebdomadarii Ecclesiae S. Petri Receptulli adjacentis, atque sitae infra septa Monasterii S. Mariae ejusdem loci, Ordinis S. Benedicti curam animarum de commissione Abbatis Ecclesiae S. Mariae praedictae cum omnimodo eidem Abbati subiectione in eadem Ecclesia S. Petri, prout asseritur, exercentes, humiliter S. R. C.

supplicaverunt pro declaratione infrascripti Dubii:

An ipsis et aliis Presbyteris in dicta Ecclesia S. Petri Receptulli residentibus licitum sit Officia Sanctorum Ordinis S. Benedicti recitare, vel saltem persolvere teneantur officium cum octava S. Benedicti Patroni Monasterii praedicti S. Mariae?

Et S. R. C. respondit: „Negative, nisi ex speciali concessione“. Et ita declaravit. 3578. Die 26. Februarii 1701.

Anno subsequenti 1728 Festum S. Benedicti occurrit in Dominica Palmarum, consequenter debet transferri usque post octavam Paschatis; sed quia Festum in Dioecesi Fulden, habet annexam solemnitatem Fori, et Dominica Palmarum fit Processio tam a Clero Saeculari quam Regulari, atque a populo totius Civitatis ad Montem Marianum, ubi habetur concio de Passione Domini, et fit benedictio Palmarum; post has et alias caeremonias tempus ante meridiem effluxit, et nulla solemnitas de S. Benedicto habita fuit. Hinc quaeritur: An dictum Festum S. Benedicti cum solemnitate Fori, Octava, et Indulgentiis transferri liceat in diem 6. Aprilis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

„Festum S. Benedicti, quando incidit in aliquam diem majoris Hebdomadae, juxta novissimum Breve S. D. Benedicti P. XIII. concessum pro toto Ordine Benedictino, transferendum esse ad feriam III. post Dominicam in Albis; quo casu dicta feria tertia habenda est, ac si esset dies propria S. Patriarchae, translato quocunque alio Officio, etiam aequalis ritus in ea occurrente“. N. 3973. Die 6. Sept. 1727.

Benedictinis Einsidl. resp. S. C.: Commemoratio sol. s. P. Benedicti in mense Julii non est celebranda cum

octava, nisi adsit concessio specialis. n. 4044. (ad Titul. VIII.) die 5. Maii 1736.

S. BENEDICTUS.

(Mart.)

Moniales Ord. SS. Salvat. Dioeces. Calagurit. petierunt, ut ritu duplicis primae Classis cum Octava gaudeat Officium Sancti Benedicti Martyris, cujus mortales exuviae ex Arenariis Urbis defossae, et a san. me. Leone Papa XII. dono exceptae propria in Ecclesia civitatis Victoriae asservantur, de quo quidem Sancto Benedicto, venia ab Episcopo impetrata, nunc officium persolvunt ritu tantum duplici. S. C. resp.:

Pro gratia unius Missae Solemnis tantum de Communi in honorem Sancti Benedicti Martyris, quoniam liberum non est Episcopo Officium concedere, et obstant Decreta. n. 4715 ad 2 die 17. Aug. 1833.

BENEFACTORES.

(Qui sunt?)

Sub nomine Benefactorum veniunt etiam Testatores. n. 2919 ad 2 die 6. April. 1680.

BENEFICIATI.

1) Cathedralis.

a) Ministri in Pontificalibus.

Vd. *Ministri in Pontificalibus; Thuriferarius* (quis?) (decr. n. 4595).

Beneficiati Cathedr. Asten. in functionibus pontif. solemnioribus et minus solemnibus et aliis functionibus, quando Episcopus celebrat missam pontificalem vel ad Vesperas Officium facit, aut assistit missis et vespis sol., aut intervenit sol. processionibus, tenentur assistere Canonico Cantori et exercere munus Choristarum et Diaconi et Sub-

diaconi; ad idem tenentur tam in processionibus quam in missis sol. Episcopo absente, a Canonico vel Dignitate celebratis, quam etiam in omnibus et singulis missis conventuali caeterisque aliis missis, quae a Canonicis, etiam extra Cathedral. sol. celebrantur. n. 4169 ad 1—3 die 15. Maii 1745.

b) Praecedentia.

In functionibus publicis, quae in Cathedrali fiunt, Canonicos Collegiatae Beneficiatis Cathedralis praeferendos esse. n. 2119 ad 1 die 2. Julii 1661.

Vd. *Processio* (praeced).

2) Incensatio.

(Cf. *Genuflexio Ministror.*)

Beneficiatos thurificari debere in Vesperis per aliquem ex Beneficiatis assistantibus Pluviali indutis. n. 923. ad 2 die 5. Julii 1631. (Cf. *Clerus Parochialis*.)

Beneficiatos unico tantum ictu contentos esse debere. n. 923 ad 9 die 5. Julii 1631.

Beneficiati a principio incensationis chori usque ad finem stare debent. n. 2082 ad 8 die 20. Novb. 1660; n. 2083 ad 8 die 18. Decb. 1660.

3) Officium.

Beneficiatos non teneri quotidie facere commem. de Sancto seu s. Titularibus utriusque Beneficii simplicis. n. 2410 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Vd. *Commemoratio Patroni*.

4) Praecedentia.

(Cf. *Processio; Officiator; Benef. Chatedr.*)

Sacerdotes Beneficiati debent praecedere alios simplices Sacerdotes, quamvis seniores in Ordine in omnibus processionibus et functionibus publicis et privatis, scilicet in choro

dum sedent. n. 2853 ad die 22. Jan. 1678.

Simplices Beneficiatos locum habere debere in choro et in processionibus post omnes (Beneficiatos) Praebendatos propriae Ecclesiae. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Sacerdos Beneficiatus, uti Beneficiatus in Ecclesia, in qua nulla est Collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus ecclesiasticis tam in sessione quam in incessu supra alios sacerdotes non Beneficiatos sed simplices presbyteros, etiam primo ordinatos in ordine sacerdotali et antianos. 2665 die 2. Decb. 1673; n. 2698 die 16. Junii 1674; n. 3242 die 11. Aug. 1691.

Ad petitionem Cleri Terrae Cripitarum Dioec. Montis Falisci, ut mandare dignaretur S. C. servari solitum, nempe quod sacerdotes antiquiores praecedant, sicut praecesserunt modernioribus, licet Beneficiatis, qui non habent onus residendi non obstantibus decretis S. C. ut illo de die 2. Decb. 1673? S. C. resp.: „*Serventur decreta*“. nr. 2688. die 14. Apr. 1674. In choro, processionibus et reliquis functionibus Beneficiatis Cathedralis capitulariter inservientibus non competere praecedentiam supra parochos. n. 3164 ad die 21. Aug. 1688.

Ad dubium: 1) an decreta in Summa 13. Julii 1639*) et in Monopolitana 17. Novbr. 1674**) extentenda sint ad Beneficiatos? 2) an propterea competat Clericis Beneficiatis praecedentia super alios Sacerdotes Beneficiatos posteriores in possessione tam in choro quam in functionibus? Et quatenus affirmative; 3) an ipsis Clericis Beneficiatis, postquam Sacerdotes effecti fuerint, reintegratio competat

*) Hoc decretum non inveni.

**) Vd. infra notam.

adversus Sacerdotes Beneficiatos posterius provisos?

S. C. resp.: ad 1. Affirmative in genere; ad 2: Negative; ad 3: Negative. nr. 4630 die 22. Sept. 1827.

Nota Gardell. ad hoc decret.

Tot sunt Decreta in nostra hac collectione relata, ac in Indice notata, quae dant regulam controversiasque omnes dirimunt, quae saepe-numero super praecedentia exoriuntur, ut frustra hac in re elucidanda immorandum mihi esse censerem.

Satis sit unum indicare Decretum Sac. Congregationis Pontificiae auctoritate firmatum in *Una Urbis S. Mariae ad Martyres*, quod normam dare debet in similibus.

Postquam enim sub die 29. Martii S. C. rem definierat, non acquiescentibus Canonicis Clericis, iterum quaestio reintegrata fuit in altera Congregatione Ordinaria coram SSmo. die 27. Septembris 1659. in qua Sanctitas Sua decrevit: *Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praeferendos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus: Et insuper addidit: non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum imper-scriptibilem declaravit. Quisque autem videt, planeque intelligit Decretum hoc tamquam legem generalem habendam esse in posterum omnino servandam. Ridiculum porro est effugium, ad quod Clerici a proposito casu recurrunt, videlicet, quod idem Decretum, et innumera alia, quae deinde prodierunt, loquantur de Canonicis, non autem de Beneficiatis. Par enim militat ratio, et tempus inutiliter tererem, si id demonstrandum susciperem. Satis hoc est quoad primum alterumque dubium.*

Ad tertium quod attinet, quaestionem

dirimit S. C. in una Monopolitana die 17. Novemb. 1674, in qua legitur a Sac. Congregatione declaratum: *Quod Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione, non sunt praeferendi Canon. Presb., etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes, et tunc nec ipsi competere reintegrationem, seu praecedentiam adversus Canonicos posteriores receptione; cum jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine quam abusus imperscriptibilem declaravit.*

Me equidem non latet, duo afferri posse S. C. Decreta, quae dant Clerico reintegrationem simul ac ei licuerit ad Sacerdotium ascendere.

Ita in una Sanctae Severinae sub die 22. Novembris 1659. et in Eugubina 15. Sept. 1736. quibus addi altera potest Verulana Praecedentiae die 31. Aug. 1757. Hujusmodi tamen Decreta in casibus particularibus ob disparem rationem proferre non juvat, prout possem hic demonstrare, nisi id praestitissem in adnotatione ad Decretum in Terracinen. 5. Martii 1825.

Lege igitur, quae ibi notanda duxi.

S. BERNARDINUS SENENS.

1) Conclusio Orationis.

Vd. S. Camillus de Lellis.

2) Translatio.

Vd. S. Antonius de Padua (Vigil., decr. n. 2988.)

S. BERNARDUS.

1) In Lytaniis non dicendus.

Vd. Lytaniae Sanctorum.

(Bononien.)

Sacrorum Rituum Congregationem requisivit Emmus., et Rmus. Dom. Car-

dinalis Opizzoni Archiepiscopus Bononiensis pro sequenti declaratione, nimirum: Quum per Breve sa. me. Pii VIII. Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis accenseatur inter Sanctos Doctores, an in Lytaniis Sanctorum de Eodem mentio fieri debeat inter Sanctos Doctores, vel an retinendus inter Sacerdotes et Levitas?

Et Emmi. ac Rmmi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die habito respondendum censuerunt: „Nihil innovandum.“ Die 16. Aprilis 1831. n. 4665.

2) Off. et Missa.

ROMANA SEU ORDINIS CISTERCENSII.

Spiritu intelligentiae replevit Dominus Deus ad Fidelium exemplum et instructionem Sanctum Bernardum Claravallensem Abbatem, qui mentis acumine, suavitate morum ac sacrarum Litterarum peritia excellens tamquam imbres emisit eloquia sapientiae suae, quum tot Volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, ac debacchantium ea aetate Novatorum errores voce, et calamo oppugnaverit, atque extinxerit. Licet vero pluribus abhinc saeculis, et viginti tantum annis elapsis a praetiosa illius morte ab Alexandro III. sanctitate vitae, miraculisque cognitis inter Sanctos Coelites adscriptus fuerit, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen desiderabat inter Ecclesiae Doctores Sanctum Bernardum referri, ac per totum Orbem haberi Monachorum Cistercensium Ordo, cujus propagator ac decus praecipuum Sanctus Abbas refulsit. Plures insuper Cardinales Patres ejusdem erga Ecclesiam merita recensentes cum iisdem Cistercensibus a SSmmo. Domino Nostro Pio Papa VIII. postularunt, ut S. Bernardi Abbatis festum cum Officio, et

Missa de Communi Doctorum celebrandum decerneret. Hujusmodi precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Conventu in Quirinali Palatio habito die 18. Julii 1829 relatis ab Rmmo. Cardinali Julio Maria De-Somalea jam Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, caeteri Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi simul omnes proclivem animum ostenderunt: attamen SSmmus. Dominus Sacrorum Rituum Congregationis morem servandum in omnibus ratus, si quid objici posset, id per Sanctae Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri voluit. Quibus quum Responsiones subiecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei 17. Julii 1830 in Quirinalibus Aedibus, referente Rmmo. Cardinali D. Placido Zurla Urbis Vicario, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ea fuit unanimis Rmmorum. Cardinalium sententia, nimirum: „Pro gratia confirmationis Tituli Doctoris cum Officio et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali, ad Emmum. Ponentem cum Promotore Fidei, et ad D. Secretarium cum SSmmo. Die 17. Julii 1830.

Horum omnium et singulorum facta SSmmo. Domino Nostro Pio VIII. Pont. Max. per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus approbavit et confirmavit, hac desuper re Apostolicas Litteras in forma Brevis expedire jussit, die 23. recensiti Mensis et Anni.

PIUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod unum ad Divi Bernardi Claravallensis Abbatis honorem et laudem plene cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; quod erat in votis inclythe Monachorum Cistercen-

sium Ordini, de hac S. Sede semper optime merito, cujus propagator ac decus praecipuum S. Abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab Universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia maxime fuit adjumento, quum tot ipse Volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, et debacchantium ea aetate Novatorum errores voce et calamo oppugnaverit, atque extinxerit, ac quoscumque Romanae Ecclesiae osiores sua doctrina retuderit, quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, Humilitati Nostrae perficere datum est. Licet enim pluribus ab hinc saeculis, et viginti tantum annis elapsis a praetiosa illius morte, a fel. rec. Alexandro PP. III. Pradecessore Nostro, sanctitate vitae, miraculisque cognitis albo Sanctorum fuerit ipse adscriptus, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen ejus virtutum meritumque coronae aliquid fulgoris erat addendum, titulus Doctoris, quo Divus Bernardus jam appellabatur, supremo hujus Sanctae Sedis Decreto in Universa Ecclesia confirmando. Quamvis autem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus tuendis Praepositi in Ordinario Conventu in Quirinali Palatio habito die 18. Julii anno 1829 referente cl. mem. Cardinali Julio Maria de Somalia jam Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, petita confirmationi tituli Doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent, Nos nihilominus, suspensio hujusmodi judicio, Sanctae hujus Sedis morem servantem, si quid objici posset, id per S. Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium, proferri mandavimus. Quibus quum responsiones subiecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei

17. Julii currentis anni in Quirinalibus Aedibus, referente dilecto Filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupat. nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ac ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro Gratia confirmationis tituli Doctoris cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac Litteras Apostolicas hac de super re expediri mandavimus. Quapropter precibus totius Ordinis Monachorum Cistercensium, quibus plures dignitate ac pietate praestantes Viri sua studia, ac postulata junxerunt, benique annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenus in dicto Ordine, et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus; ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die festo tum a Regulari, tum a Saeculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum, et cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus* etc. cum additione VI. Lectioni, et Martyrologio juxta Decretum ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis. Ac praeterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, Christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulerit, adhiberi volumus, et decer-

nimus: Tandem, ut Christifidelium devotio ad hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandum eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui die festo ejusdem Doctoris vere poenitentes, et sacramentali confessione praemissa Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et unam ex Ecclesiis Ordinis Cistercensium a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc praesentem Nosram concessionem perpetuo duraturam, et sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis Saecularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut earundem praesentium Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii

publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1830. Pontificatus Nostri Anno Secundo. Card. Albani.

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS ET DOCTORIS.

Missa de Communi Doctorum cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus cor suum.*

Officium pariter de Communi Doctorum cum Antiph. *O Doctor*, in utrisque Vesperis. Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente. Lectiones II. Nocturni propriae ut in Breviariis, et in fine VI. Lectionis addatur ut sequitur:

Pius vero VIII. Pont. Max. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit, nec non Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias Plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cistercensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones III. Nocturni: *Vos estis sal terrae.* In Martyrologio addatur: Quem Pius VIII. Pont. Max. universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit.

DECRETUM.

„Supra scriptam additionem VI. Lectioni faciendam in Officio S. Bernardi Abbatis et Doctoris, et Martyrologio „Romano ab Emmo. et Rmmo. D. „Card. Placido Zurla, Relatore Causae, et R. P. D. Virgilio Pescetelli „S. Fidei Promotore revisum, SSmmus. „Dominus Noster Pius VIII. Pont. Max.

„adprobavit, atque in suprad. Officio „Officio et Martyrologio in universali Ecclesia legi posse concessit.“ Die 23. Julii 1830.

C. M. Ep. Praenest. C. Pedicinius Praef.

Loco † Sigilli.

J. G. Fatati S. R. C. Secr. n. 4659.

3) Translatio.

Festum S. Bernardi Abbatis die 20. Aug. in supradicto Ordine Militari Equitum Christi in regno Lusitania est dupl. I. cl. cum Octava, propter communicationem cum Ordine Cistercensium, et Festum S. Joachim Patris B. M. V. in ipsomet Regno est pariter dupl. I. cl., sed sine Octava, ut ex novissimo Apostolico Indulto sub die 17. Sept. 1806 concessum est. Quando Dominica infra Octavam Assumptionis, quae assignatur Festo s. Joachim, incidit in diem 20. Aug. S. Bernardi propriam, de quo Festo Officium peragendum? Utrum de S. Bernardo, an de S. Joachim?

Et S. eadem R. C. rescripsit:

„In casu, de quo agitur, faciendum esse Officium S. Bernardi Abbatis, cum translatione alterius S. Joachim in primam diem non impeditam.“

Atque ita in posterum servari mandavit. N. 4530. Ad. 4. Die 22. Martii 1817.

BERRETTA.

Vd. *Galerum; Biretum.*

BINATIO.

Vd. *Missae* (duae non sunt legendae ab uno Sacerdote.)

BIRETUM.

1) Assistantis.

Speclare ad Magistrum Caeremoniarum et non ad Acolythum, recipere